

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3953

**Auteur(s)** : Nicolas d'Auteuil, Évreux (évêque)

**Bénéficiaire(s)** : Évreux, Saint-Taurin (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1287, 17 avril

**Lieu d'émission** : Paris

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

N[icolas], évêque d'Évreux, approuve et confirme l'élection de Simon de Guisignes comme abbé de Saint-Taurin d'Évreux.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1025, p. 265.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, N., permissione divina, Ebroicensis episcopus, licet indignus, salutem in Domino. Cum monasterio Sancti Taurini Ebroycensis suo destituto pastore, Richardo videlicet ejusdem loci abbate viam universe carnis ingresso, die etiam assignata canonice et collecta a fratribus ejusdem monasterii, vocatis propter hoc evocandis, et ipsa die presentibus hora capituli ibidem qui voluerunt et potuerunt interesse, ad tractandum et providendum, quantum in se erat, cum adjutorio Salvatoris, de futuro abbate, prout racionabiliter et juste in talibus fieri consuevit, Symon de Guisignis, monachus dicti loci, vir utique providus et discretus, tam in temporalibus quam in spiritualibus circumspectus, fuerit nominatus concorditer a cunctis fratribus et electus in abbatem fratrum et monasterii eorumdem, non sine inspiratione divina, observata circa hoc sollempnitate debita et assueta, prout hec omnia plenius didicimus et vidimus, tam ex tenore decreti electionis predicte, sigillo predicti monasterii sigillati, quam alias, ut decebat, nobisque sufficienter fuerit presentatus per litteras patentes religiosorum monasterii supradicti, cum instancia ut eundem Symonem, sic electum canonice, confirmarem in abbatem eorum, et munus benedictionis impenderemus eidem, notum facimus quod nos, facto, processu et decreto totoque negotio electionis predicte examinatis a nobis et diligentius perscrutatis, persona nichilominus dicti electi examinata et inventa ydonea ad tantum onus et curam in Dei ecclesia obtinendam, comperto et invento circa factum predictum quod omnia rite acta fuerunt, dictum Symonem, consideratis considerandis, confirmavimus in abbatem fratrum monasterii predictorum auctoritate ordinaria, et electionem approbavimus predictam, si que deerant, que de jure supplere poteramus supplentes, et de ipso eidem monasterio providentes. Datum et actum Parisius, apud Sanctum Anthonium, petita prius super hoc licencia et obtenta a reverendo patre R., Dei gratia, Parisiensi episcopo, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto, die lune post Quasimodo.